

DISPUTATIONUM ETHICARUM
P R I M A

Eaq̄, προθωεικὴ ἔ̄ preliminaris,

VNIVERSÆ PHI-
LOSOPHIÆ, PRÆCIPUE
VERO ETHICÆ NATURAM ET
constitutionem adumbrans,

Quam,

JEHOVAH PRÆSIDE

In Academia Lipsiensi

Sub moderamine

M. ANDREÆ BAUERI
CIZENSIS.

respondendo tuebitur

JOHANNES HEINTZIUS,
Valle-Joachimicus.

Ad d. 5. Aprilis,

Anni M. DC. XVI.



Excudebat LAURENTIUS COBER.



(1)

X4860546

VIRI S
Nobilissimis, Amplissimis &
Consultissimis

Dn. HENRICO Schmidt/ in Schmiedfeldt/
Grunath & Hofichen.

Dn. LEONHARTO Olhafn à Schöllene-
bach in Baraw.

Inclutæ Wratislaviensium Reipublicæ
Senatoribus primarijs.

NEC NON

Clarissimo & Excellentissimo

Dn. FRIDERICO SEILER,
Philosophiæ & Medicinæ Doctore
experientissimo.

UT ET

Amplissimo & Spectatissimo

Dn. ABRAHAMO SEILER,
Iudicij Provincialis in Silesia Affes-
sori dignissimo.

*Dominis Cognatis Patronis & Fautoribus meis
debita semper observantiâ colendis.*

Disputationem hanc Philosophicam

D. D. D.

Johannes Heintz,
Valle-Loachimicus.





PROOEMIUM.

In lib. de
populis
Germani-
arum.



*D*lus in Germania valere bonos mores, quàm alibi bonas leges, Cornelius Tacitus iudicat. Declaravit hoc Nobilitas Germanica satis in equestribus gymnasiis, ad quæ non nisi virtutis studio claris patebat, labe verò quadam adpersis intercludebatur aditus, ut hoc pacto nobili & generoso impetu ad virtutis arcem expugnandam quisq; inflammaretur. Quid ergò nos, ò GERMANI? Num nos ipsis Ethnicis in morum pietate & sanctimonia cedemus Christiani? absit. Quin potius, quanto, Ethnici adhuc dum eramus, & à vera veri DEI cognitione alieni, honestatis fueramus studiosiores, tanto nunc ardentius, postquam sub CHRISTI vexillo militare cepimus, remis velisq; eò contendamus, ut moribus vivis & moderatis exprimamus, quod Gentes aliæ legibus duntaxat pingere consueverunt. Inserviat autem nobis ad hoc præstandum ea sapientiæ humana pars, quæ dicitur Philosophia practica, & in primis ETHICA, quam Aristoteles, Veritatis, Naturæ, & Virtutis nobilissima Soboles, decem libris ad Nicomachum filium scriptis complexus est. Antequam verò eosdem resolvamus, & in aliquot redigamus συζητήσεις, opera pretium nos facturos putamus, si generalem quandam de universa Philosophia, in primis verò ETHICA, προδιδακταλίας præmittamus: SED DEO DUCE AC LUCE. Nostra enim hæc in literarum studiis peregrinatio sine superna Luce miserabilis quædam est erratio. Scalig. Ex. 359. f. I.

THESIS I.

Quæ majorum gentium Philosophis olim dicta fuit SOPHIA, ea Orige jam nobis dicitur PHILOSOPHIA: Pythagoras quippe primus fuit, qui fugiens arrogantem σοφῆς titulum, appellavit se φιλοσοφον: Licet itaq;

itaq; vocabulum Sophiae sit prius & antiquius vocabulo Philosophiae, nihilominus tamen unum & idem sub appellatione utraq; intelligitur.

ἀμεωνυμία.

I I. Accipitur autem vocabulum Philosophiae tum κοινῶς pro quibusvis disciplinis l. 6. Eth. c. 7. tum ἰδίως pro disciplinis saltem liberalib.

III. Estq; ex numero eorum, quæ neq; sunt ὁμώνυμα neq; συνώνυμα, sed quæ κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον dicuntur: primariò quidem Theoreticis, secundariò practicis competit disciplinis.

Definitio.

I V. Definitiones Philosophiae tres præ cæteris videntur esse vsitatiores, quarum PRIMA hæc est: φιλοσοφία ἐστὶ τῶν θεῶν καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων γνῶσις. Est rerum divinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res continentur, cognitio. SECUNDA: Philosophia est habitus animi constans sapientia & prudentia. TERTIA: Philosophia est cognitio rerum omnium ad perficiendas animæ humanæ facultates comparata.

V. E quibus tamen tribus maximè nobis arridet postrema, cui nō absimilis hæc est: φιλοσοφία ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων πρὸς τὴν τῷ ἀνθρώπῳ τελείωσιν.

1.
Genus.
2.
Differentia triplex.

VI. Quæ definitio duo potissimum continet: 1. Genus προσεχέως sive proximum, quod est γνῶσις sive cognitio. 2. Differentiam, quæ sumitur ab objecto, subjecto, & fine.

VII. OBJECTUM, sunt τὰ ὄντα, Res in universum omnes: SUBJECTUM inhæssionis est mens hominis: nulla enim est cognitio, nullus habitus, quin sit in animo. FINIS est animæ humanæ facultatum perfectio, ut ita homo, quatenus homo, in hac vita perfectus evadat, quoad ejus fieri potest.

VIII. Atq; sic Philosophia discriminatur à Theologia, quæ de rebus divinis & animæ nostræ salutem concernentibus tractat. Jurisprudencia de actionibus civilibus seu forensibus ad normam justitiæ & honestarum legum componendis agens ad Philosophiam practicam refertur: non secus ac ars Medica de morbis profligandis ex corpore humano, & sanitate vel tuenda, vel recuperanda tractans, ad physicam, philosophiæ theoreticæ partem.

IX. Discriminatur quoq; Philosophia à disciplinis organicis, quæ non principaliter de rebus tractant, sed tamen mentem nostram juvant in rerum cognitione, ejusq; operationē aliquam certis normis & instrumentis dirigunt, ut sunt Grammatica, Logica, & Rhetorica: ex quibus Grammatica & Rhetorica dirigunt eam mentis operationem, quæ dicitur cogitationum significatio: Logica verò illam, quæ nominatur de rebus cogitatio.

Divisio.

X. Divisio verò Philosophiæ præ cæteris tradi solet gemina, quarum altera est Stoicorum, altera Peripateticorum. XI. STOI-

XI. STOICIS quidem Philosophia est triplex: Logica, Physica, Ethica. Sed hæc divisio duabus de causis consistere non potest: 1. quia Logicam dicit Philosophiæ esse partem, cum tamen solummodo sit illius instrumentum, ut modò dictum est. 2. quia confundit subjecta scientiarum, quandoquidem Physicæ naturam tam latè extendit, ut sub suo ambitu ea non tantum rerum naturalium, sed etiam Mathematicarum & materiæ expertium complectatur considerationem.

1. Stoicorum.

XII. PERIPATETICIS verò Philosophia est duplex: Una θεωρητικὴ contemplativa: altera πρακτικὴ activa: Quæ divisio autorem habet ipsum Aristotelem. l. a. min. Metaph. c. 1. §. 3. & lib. 2. p. p. c. 1. §. 1. & approbatores ferè omnes ipsius interpretes.

2. Peripateticorum.

XIII. Desumpta autem est ab *objecto Philosophiæ*, cujus nomine veniunt τὰ ὄντα Entia universa: quæ cum sint duplicia: τὰ ἀναγκᾶ necessaria: & τὰ ἐπιχρόμια contingentia, duplex quoque secundum illa constituitur Philosophia: circa illa quidem Theoretica: circa hæc practica esse occupata dicitur.

XIV. Imò hanc Philosophiæ partitionem etiam in sacris non obscure delineatam esse nonnulli demonstrant: Sic enim verba sonant, Sapientiæ 7. c. Ipse mihi dedit eorum, quæ sunt, certam cognitionem (*Metaphysicam innuit*) ut cognoscam constitutionem mundi & elementorum (*Physicam intelligit, quam latè describit.*) Deindè subjungit: ut cognoscam Principium & finem mediumq; temporum solstitiorum mutationes & varietates tempestatum, anni circuitus & Stellarum situs: (*ubi Astronomia, & Astrologia, unà cum reliquis disciplinis Mathematicis notatur.*) Tandem illa sequuntur: ut cognoscam Cogitationes hominum: quæ ad *Ethicam* sunt referenda.

Sap. 7. § 15.

XV. Differunt autem inter se Philosophia Theoretica & practica tribus potissimum modis: Fine, objectis, subjectis.

Diff. Philosophia, Theoretica & practica.

XVI. FINIS Theoretica est θεωρία, quæ est γνώσις τῆς ἀληθείας, & nostræ mentis perfectio, in qua Philosophiæ theoreticæ beatitudo collocatur: Practica est ἐπιπραξία ἢ χεῖρις ἀρετῆς, bona actio & usus virtutis Ethicæ optimæ & perfectissimæ.

1. Fine.

XVII. OBJECTIS: quia Theoretica versatur περὶ τὰ ἐξ ἀνάγκης ὄντα: Practica verò περὶ τὰ πρακτὰ, circa ea, quæ sub actionem cadunt, ut sunt τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ καὶ κακὰ, quæ homini, sive expetenda, sive fugienda: expetenda, ut bona: fugienda, ut mala existunt.

2. Objectis.

XVIII. SUBJECTIS: Theoretica est ἐν τῷ γνωστικῷ, seu perficit eam hominis partem, qua homo est homo, id est, mentem, discussa sc-

3. Subjectis.

da rerum ignorantiae nebula & caligine: *Practica* ἐν τῷ θυμικῷ sive θυμικῷ, in quo est ardor irarum: καὶ θυμικῷ, quod cupiditatibus beluinarum voluptatum aestuat: siquidem docet, quomodo conflictio utriusq; illius sensuum appetitus, & intestinum bellum cum ratione sedari oporteat.

Theoretica philosophiae divisio.

XIX. Ceterum *Theoretica Philosophia*, vicissim est triplex: *Metaphysica*, *Mathematica*, *Physiologia*. Quae divisio & ipsa autorem habet Aristotelem, & nititur tripartitae divisionis τῶν ἀναγκάων fundamento.

XX. Alia namq; sunt τὰ ἀπλῶς ὄντα, l. s. p. p. c. i. §. i. & l. κ. p. p. c. 7. quae simpliciter ab omni materiae concretionem sunt libera: alia τὰ ὄντα ἐξ ἀφαίρεσεως, l. i. de an. c. i §. 17. quae quidem sensibili materiae sunt immersa, cogitatione tamen ab his citra τὸ εὐδὲ τῶν χωρίζοντων abstrahi queunt: alia deniq; sunt τὰ ὄντα ἐκ ἀφαίρεσεως. l. 3. de Caelo. c. i. §. 6. quae sine materia sensibili nec reperiuntur, nec intelliguntur ac definiuntur. Circa primum genus Entium, *Metaphysica*: circa secundum, *Mathematica*: circa tertium, *Physiologia* est occupata.

ἐπίκεισιν.

XXI. Neq; tamen planè ἀφικνῆται videtur haec divisio: tum quia subjectum *Metaphysicae* ostendit esse tantum τὰ ἀπλῶς ὄντα, cum tamen eadem contempletur τὸ καθόλου Ens univēsum tam ἔνυλον, quam ἀτυλον, *materiatum sive immateriatum: mobile sive immobile*: tum quia τὰ ἐξ ἀφαίρεσεως ὄντα non sunt adaequatum *Mathematicae* objectum: Datur enim communiùs sc. *Quantitas* in genere: sive ἀπλῶς & PER SE, ut in puris *Mathematicis*, qualis est *Arithmetica* & *Geometria*: vel χητικῶς, ratione materiae sensibilis considerata, qualis est *Astronomia*, quae quantitatem in caelesti corpore: *Musica*, quae numerum in sonis: *Optica*, quae lineas in lumine, luce, coloribus, contemplatur.

XXII. Exactior itaq; videtur haec esse divisio *Theoreticae*, quae facta est ab Aristotele l. γ. p. p. c. i. in scientiam καθόλου καὶ ἐν μέρει: *Universalem* & *particularem*: ILLA τὸ ὄν ἢ ὄν, seu omnes Entis, quatenus est Ens, affectiones & distinctiones considerat: ISTA μέρος τι τῶν ὄντων, i. e. partem Entis contempletur.

XXIII. Atq; haec vel est *Theologia*, quae de rebus à materia se-junctis in specie agit, ut sunt: DEUS & Angeli, quatenus rationis lumine cognosci possunt, & dicitur *particularis Metaphysica*: vel *Physica*, quae de rebus corporeis: vel *Mathematica*, quae de quantitate, e-jusq; speciebus pertractat.

Practica philosophia.

XXIV. *Practica Philosophia* & ipsa quoq; est triplex: *Ethica*, *Politica*, & *Oeconomica*. Cujus divisionis fundamentum nititur po-tissi-

eiffimum *fine* totius practicae philosophiae, qui est *εὐδαιμονία felicitas*: quae ipsa cum diversa respiciat objecta, diversas quoque philosophiae practicae partes constituit: vel enim respicit *ἀνθρώπου μοναστικόν*, i. e. unum tantum hominem seorsim consideratum, hinc *Ethica*: vel spectat *οἰκίαν* domum sive familiam, hinc *Oeconomica*: vel refertur ad *πόλιν* civitatem vel regnum, hinc *Politica*.

phia di-
visio.

XXV. Neque verò & hæc divisio planè est *ἀένσηται*, præsertim si non *παχολῶς*, sed *ἀκρίβως* potius debet explicari. Non enim moralis disciplina disputat de summo bono hominis privati, sed cuiuscunq; & in quocunq; vitæ genere constituti: *πολιτικὸν δὲ ὁ ἀνθρώπου ζῶον*. I. Polit. c. 2.

ἐπισημασία

XXVI. Rectius itaq; fortassis Philosophia practica, quæ una tantum est Specie, in duas dividitur partes: ac harum quidem altera est *Generalis & communis*, in qua universalia rationis nostræ præcepta proponuntur, ad omnes omnium gradus pertinentia; & dicitur *ΕΤΗΙ-CA*: altera verò *Specialis & propria*, quæ dicitur *POLITICA*, cuius *σπόδην* sive additamentum est *Oeconomica*: quæ hominum conditioni sese accommodans peculiare vivendi leges & rationes proponit, quæ vel ad gubernandam familiam, vel ad benè administrandam Rempub. & civitatem pertinent.

XXVII. Atque hæc nostro instituto in genere de Philosophia sufficiant: In Specie verò ipsam philosophiam Moralem quod attinet, vocata est *ἠθικὴ*, ut tradit Arist. l. 2. Eth. c. 1. *ἐπὶ τῷ ἔθει*, ab assuefactione: vel *ἐπὶ τῶν ἠθῶν ἀ moribus*, eò quòd virtutum habitus per adsuæfactionem creentur, quodq; circa mores moderandos *Ethica* versetur.

DE E-
THICA
in specie,
ἐτυμολο-
γία.

XXVIII. Usurpatur nomen *Ethicæ* non uno modo apud Philosophos: Interdum enim generatim pro universa philosophia practica: l. 10. Eth. c. 9. Interdum speciatim pro una saltem ejus parte, nempe *ΕΤΗΙ-CA*: cuius *integrὰν οὐσίαν*, pro ut *ordo analyticus* postulat, paucis delineabimus, & exinde definitionem ejusdem eliciemus.

ὁμοωνυμία

XXIX. Quemadmodum itaq; in omnibus alijs artibus & disciplinis operatricibus: Ita in *Ethica* quoque, quia *πράξιν* spectat, tria sunt expendenda: *Finis seu Scopus*, ad quem universa doctrina collineat: *Media*, quæ ad illum finem ducunt: *Subiectum*, in quo finis est acquirendus.

Tres partes
Essen-
tiales.

XXX. *FINIS* iste, à quo potissimum moralis disciplina constituitur, est duplex: *Medius & Ultimus*. *Medius* quidem est vitæ morumq; conformatio, seu appetentis sensuum facultatis perfectio: *Ultimus*

I.
Finis.

ἄκτιστος

rimus verò, quem Aristoteles Architectonicum sæpè vocat, 1. Eth. c. 1. est summum bonum seu felicitas, non spiritualis illa, quæ è superis venit, & in sacris literis continetur: sed talis, qualem homo in hac civili societate consequi potest.

2.
Subje-
ctum.

XXXI. SUBIECTUM, in quod finis iste introduci debet, est anima humana, vel potius ejus pars, quæ appetens aliàs dicitur: virtutum scilicet habitu ad felicitatem in hac vita consequendam informanda.

XXXII. Atq; de hoc agit Philosophus circa finem lib. 1. Eth. non quidem ἀκριβῶς, quod physici est: sed παχυλῶς, prout natura & conditio moralis disciplinæ flagitat. Sicut enim Medico, qui oculum curare vult, necessaria est aliqua oculi cognitio, quanta ad curationem sufficit: Ita morali philosopho, qui Medicus est animæ, qualiscunq; illius cognitio est necessaria.

3.
Media.

XXXIII. Fine & subjecto præcognito progreditur philosophus ad principiorum seu mediiorum investigationem, quæ sunt virtutes, tam ἠθικὰ *morales*, quàm διανοητικὰ *intellectuales*.

XXXIV. Ac Moralis virtutis causas efficientes, effectus, objecta, formam ac definitionem, deniq; pugnancia lib. 2. adducit: quibus absolutis differit de principijs & causis actionum humanarum, ἀποαιρέσει maximè, tum quod mentio illius facta fuerit in definitione virtutis, tum verò quòd ὁμοιότητι i. e. virtuti similima putetur: idq; agit prioribus quinque capitibus l. 3. reliqua capita verò unà cum toto libro. 4. in explicatione speciali singularum virtutum consumit, quatenus nempe appetitum hominis solummodò formant, nec vim suam exerunt ἀπὸς ἑτερον: Nam quatenus hoc faciunt, l. 5. de iisdem sub nomine *Iusticie universalis*, quæ est quasi compendium omnium virtutum, rursus pertractatur, simulq; de particulari Iusticia, nec non alijs, quæ ad eam referuntur, ut est Ius & æquitas, disputatio instituitur.

XXXV. Porrò quoniam virtus in mediocritate consistit, definita viri prudentis iudicio: prudentia verò est in numero intellectuum virtutum; iccirco lib. 6. de his quoq; explicat, cum ob dictas causas, tum verò propter sapientiam, in cuius functione beatitudo philosophica posita cernitur.

XXXVI. Septimus liber continet δίγνησι, quæ virtutes humanas atq; turpitudines: vel excedunt bonitate aut malitia, uti sunt *virtus Heroica* & *Ingrata feritas*: vel ad easdem quàm proximè accedunt, quarum veluti rudimenta existunt: adeoq; huc pertinent *Continentia*, *Tolerantia*, quarum illa *Semitemperantia*, ista *Semifortitudo*, haud incommodè dicitur.

Cumq;

XXXVII. Cumq; voluptas & dolor circa has Semivirtutes maximè animadvertantur, de iisdem in calce dicti libri adhuc quædam aspergit; & ita pergit ad amicitiam, tanquam Iusticiæ germanam sororem, quam in duobus libris comprehendit, ita ut in 8. lib. quidem τὰ ἰσοστάθην definitionem & divisionem: In 9. l. τὰ ἐπισιωδῆν, puta rationem conservandi amicitias, ut & reliqua adjuncta, benevolentiam, concordiam & beneficentiam, persequatur.

XXXVIII. Et tandem l. 10. relabitur ad doctrinam voluptatis, quæ cum summo bono arctè conjuncta videtur, ubi disputat de felicitate Theoretica, eamq; cum practica felicitate confert, propterea quòd felicitas practica, quam Ethica primariò respicit, ad Theoreticam velut ad ultimum finem dirigatur.

XXXIX. Felicitas quippe contemplativa potiss. est finis hominis, summaq; ejus perfectio, ad quam homo pervenire nequit, nisi animum à vitijs & turpitudinibus planè expurgatum & liberum habeat: quam ad rem maximè confert Philosophia moralis; dum animum à fordibus vitiorum expurgat, omniaq; impedimenta remover, quæ animum hominis pulcerrimarum rerum cognitione potiri non sinunt.

XI. Atq; ex his omnibus, Ethicam sic definiri posse patet, quòd sit prudentia, seu disciplina ex prudentiæ habitu profecta, quæ informat animum hominis, ut in omni vitæ genere honestum attingat, atq; eo ipso felicitatem, quanta in hac vita contingere homini potest, consequatur.

Definitio
Ethica.

XLI. Atq; inter hanc (ut coronidis loco hoc addatur) & Politicam, specialiter sic dictam, tantum intercedit discriminis, quantum inter genus & speciem: Inter principia, & quæ ex principijs nascuntur: Inter physicam communem, libris acroamaticis comprehensam; & specialem, quæ in sequentibus commentarijs pertexitur.

Differunt
Ethica &
Politica.

XLII. Ethica namq; præcepta tradit, quæ concernunt singulos homines & universos, cujuscunq; ordinis sint, dignitatis, & conditionis: At Politica illiusq; ἀποδῆκν, Oeconomica, à generalibus ad specialia progreditur, ostendendo, quomodo generalia illa distinctis hominum gradibus in civitate & familijs pro ratione circumstantiarum debeant accommodari.

XLIII. Hanc esse Aristotelis sententiam ex l. 1. Mag. Ma. c. 1. tam clarè elucet, quàm sol in meridie: ἡ πρὸς τὰ ἦθη, inquit, πραγµατεία est ἀρχὴ principium politicæ, siquidem in civilibus qui desiderant facultatem præclarè agendi, cum oportet τὰ ἦθη ἀπεδῆκν εἶναι moribus honestis excultum esse.

B

XLIV. Ad

XLIV. Ad hoc discrimen accedit & illud, quod Præceptis moralibus, quæ in Ethicis nudè, & sine omni sanctione traduntur, *Politica insuper δὲναμιν ἀναγκαστικῶν*, i.e. vim cogendi, sive obligandi cives refractarios, vel ad poenam, vel ad obedientiam adjungat.

XLV. Atque hæc *ὑποδιδασκαλία ἐνικα* dicta sunt: deinceps, *DEO* nostros conatus favente, in singulis libris ordinem sequemur *Aristoteleum*, juxta illud:

*Quid rivus tantum sectaris? turbidus omnis
Rivus it: illimis fonte perennat aqua.*

PROBLEMATATA.

1. *An Ethica Aristotelis in Christianorum Scholis sit retinenda?*

Nonnullis è Christianorum Scholis in Insulam deportanda videntur, cum uberrimè Israëlites fontes suppetant, ex quibus animorum nostrorum medela haurire licet. Quid enim opus lilio, aut vili tritico? Solum *DEI* verbum est lucerna pedum nostrorum: Cætera omnia ad hanc comparata plùs quàm Cimmeriæ sunt tenebræ, quas non nisi malitiosus præ luce clarissima eliget. Quid? quod Ethica Aristotelis hominem à veræ beatitudinis & felicitatis, quæ in Christo est, studio abducatur: propriarum aliquid virium hominis arbitrio tribuat: veros fontes imbecillitatis humanæ non aperiat: & magna ex parte vana, falsa, & impia, ex nonnullorum opinione contineat: Accedit *B. Lutheri* judicium, qui alicubi dicit: Aristotelis Ethicam esse *peffimam gratiæ inimicam*. Sed *DIFFICULTAS* facilè tollitur. Rejicitur aliquid bifariam; vel ut *ἀπὸς* damnetur, repudiatur, exterminetur: vel *ἑλικῶς*, ut nempe alteri postponatur, & in viliori pretio habeatur. *Priori modo Aristotelis Ethica non est rejicienda: sed posteriori*: Nam 1. illud ipsum, quod in Aristotele fuit, *donum DEI est*, tam liberaliter in ejus naturam collatum. 2. quia plerumque *Sacris literis consona* tradit, quæ natura dictavit, ars expolivit & sedulitas magis magisque perfecit. 3. quia ex hac ansam cogitandi capimus, de noticia naturali, quousque ea pertingere potest. 4. Stoicorum necessitatem evertit. 5. Epicuri monstra debellat. 6. In servit Theologo tum in Decalogi expositione & illustratione, tum in controversijs Theologicis, si modò is in Ethicos terminos & principia non juret, sed

Tom. 6.
German.
Viteber.
p. 568.
& Tom.
Ien. Ger.
p. 110.

ret, sed eatenus saltem ea adhibeat, quatenus cum problematis Theologicis consentiunt, & antequam ijs applicat, ab omni imperfectione eadem prius liberet, juxta illud Axioma: *Termini Philosophici, rebus applicandi, antequam applicentur, ab omni imperfectione liberentur.* Ad argumenta *NEGATIVAE PARTIS* respondetur. 1. Etsi verbum DEI sufficiens sit: decreta tamen Philosophi non sunt rejicienda propter eos, qui sunt extra Ecclesiam. Hi enim cum Scripturam sacram averfentur, convincendi sunt propter eos, quos *δμοψήφως* habent, ut sint *ἀναπολόγητοι*. 2. ratione sui & aliorum etiam hæc assumenda sunt præcepta, qui in iisdem Ecclesiæ pomærijs versantur, ne deficiat quicquam eorum, quæ scire inter est; ne usu priventur eorum, quæ maxime requiruntur. 3. Falsum est, quod affirmatur à vera felicitate homines per Ethicam Aristotelis abduci. Nam intra suos terminos sese continet: nec ideò ulteriorem vel superiorem beatitudinem damnat, quod propriam doceat: Imò per accidens hoc fit, si qui propter moralem disciplinam ab ultimo fine aberrant. 4. Nihil absurditatis est, si aliquid propriarum virium homini in civili societate cõenda tribuatur, cum Theologi etiam libertatem aliquam illius in regenda locomotiva Sacris literis comprobari doceant. 5. Injustè à philosopho morali exquiruntur causæ imbecillitatis humanæ, cum ad ipsum harum explicatio non pertineat: *Supra enim id, quod debet, exolvere non tenetur.* 6. Errores quod attinet, illi non sunt ferendi, si aliqui sunt: sed videndum, ne cum lolio rejiciantur fruges. 7. Verba B. Lutheri *minimè ad excutiendum hunc librum è manibus studiosorum, sed ad retundendam Scholasticorum ἀπειθεσίαν* pertinent, qui Aristotelis philosophiam cum Theologia confuderunt, atque ex Aristotele patrocinium causæ contra Christi gratiam quæsiverunt.

2. *An Beatitudo Theologica & Ethica: Item virtutes Theologica & Ethica gradibus, an verò specie differant?*

Philosopho-Theologus Keckermannus in lib. Syft. Eth. p. 18. existimat: Virtutes Ethicas esse quosdam gradus virtutum Theologicarum: Beatitudinem Ethicam esse gradum beatitudinis Theologicæ. Et virtutem Theologicam esse complementum virtutis moralis: Et hæc duo habere se, sicut teporem ad fervorem, & lucem matutinam ad lucem meridianam. Itaq; erit inter hæc duo distinctio graduum, nempe secundum magis & minus. Sed hæc assertio (quod tamen pace

CONFIRMARI
TANTUM *philosophi dixerim.*) non videtur veritati consona. Quorum eadem principia, illorum eadem essentia: & quorum diversa principia, diversa quoque Essentia. Jam utrobique diversa sese offerunt principia: Nam Ethicæ virtutes ex communibus principiis, quæ Κοινὰ ἐννοεῖται dicuntur, sunt extractæ, quæ in corrupta natura manserunt: Theologicæ verò non ratione humana & ingenij viribus comparari possunt, sed à solo DEO sunt petendæ & ex fontibus sacrarum literarum. Deinde in Ethicis agitur de felicitate hominis, prout est particula civitatis seu politicæ societatis, quæ honestis legibus & rectæ rationis præscripto actiones suas conformes reddit, ut inde honestatis & omnium virtutum decus eluceat: quæ felicitas nostro studio acquiri potest, & hujus tantum vitæ termino circumscribitur: In Theologia agitur de spirituali felicitate hominis, prout est membrum cætus Ecclesiastici, quam ex sacris Biblijs novimus insolidum pendere à divina gratia, & in hac vita tantum inchoari, in altera verò terminari. Præterea Aristoteles, nihil de fide, & reliquis virtutum Theologicarum speciebus, sine quibus reliquæ virtutes umbrae sunt potius virtutum, quam virtutes ipse: nec omnia peccata & vitia cognovit: peccati sedem tantum appetitum Sensuum facit, non verò totam animam. Accedit, quòd in vera causa assignanda majoris hominis ad vitia quam virtutem proclivitas talpæ cæciores fuerint philosophi, nec verè pleneque explicare potuerint, quæ fiat, cum omnia per naturæ conditionem, bonum sui que perfectionem querant, quòd solus Homo ad malum sui que imperfectionem propendeat. Hinc contrariorum vi facile elucescit, quæ imperfectio in virtutum doctrina apud Philosophos refulgeat. Ex quibus omnibus constare arbitror, horum duorum diversa principia, diversam essentiam inferre. Iam arguo: Quæ diversam habent essentiam, differunt specie: Zabarel. de constit. individ. c. 3. quæ verò differunt specie, non differunt gradibus. Zabarel. l. de missione. c. 7. Expirat itaque Keckermanno assertio: quæ etiam non parùm favere videtur Romanensibus in locis de peccato Originis, de Libero Arbitrio, & de Iustificatione.

3. *An animum ad Juris studium applicaturus
Ethices cognitione carere possit?*

MINIME GENTIUM: sicut enim bonus Medicus esse non potest, qui non sit philosophus naturalis: Ita nec bonus Legislatores, qui non calleat moralem philosophiam, ait Zabarella, l. 1. de const. Scient. nat. c.

nat. c. 37. Deinde Principijs ignoratis non potest res distinctè cognosci. Zab.
 l. 1. de const. Sc. Nat. c. 18. Ex principijs enim ebullit rerum cognitio. Pe-
 rer. l. 4. phys. c. 8. Et sine causis nulla traditio, nulla scientia firma est.
 Lips. l. 4. Polit. c. 2. Jam verò in Ethicis Jurisprudentiæ principia
 proponi, non solum afferit *Ierivs Vuleejus*, dicens: Sine quibus Jus
 satis commodè disci nequit, omnes sunt Philosophiæ partes, & cum primis Ethicis
 ea, quæ Juris (quædam) principia tradit: sed etiam hoc pacto proba-
 tur: Agit quippe Ethicus de summo bono, quod non solum priva-
 tum, sed etiam publicum, Piccol. in Introd. phil. moral. c. 10: agit
 de actionibus humanis, earumq; principijs: agit de virtutibus genera-
 tim & speciatim: imprimis de Justitia & Jure tum naturali, tum jure
 gentium, quæ omnia Jurisprudentiæ veluti hinc deductæ sunt prin-
 cipia. Quid sunt leges, nisi Justitiæ præcepta & fœtus prudentiæ?
 Itcirco Jurisprudentiæ æstimatori & amatori Ethicæ cognitio est ne-
 cessaria, non quoad τὸ γινῶναι seu noticiam simplicem, sed quoad τὸ εἰ γινῶναι,
 h. e. noticiam solidiorem & pleniorẽ. Breviter: Ubi desint Ethicæ,
 ibi incipit *ICrus*.

In præf.
 Jurisprud.
 Rom. de
 studio Ju-
 ris.

4. *Utrum Philosophus, πραγματείαν ἠθικὴν
 non definiens, sit reprehendendus?*

Minimè: Nam hujusmodi Universalis definitio, non est de es-
 sentia tractationis: sed habet se *instar proœmij*, ut accuratè demonstrat
 Zabarella, in. l. de Methodo. Neq; planè illam omisisse putandus est,
 quoniam in proœmio cujuslibet tractationis satis accuratè determinas
 res & materias, ut quid & qualis sit qualibet, facilè animadvertatur: Un-
 de facilè definitionem elicere cuivis sit promptum.

5. *An Ethica voce prudentiæ possit definirì?*

Sunt qui *facultatis*: Sunt qui *artis*: Sunt etiam qui *Scientiæ* no-
 men Ethicæ accommodatum censeant: Sed hallucinantur omnes,
 si cum Aristotele placeat ἀκριβολογεῖσθαι accuratè & exactè loqui, non
 autem ἀκολουθεῖν τὰς ὁμοιοτησιν similitudines & umbras consecrari. Neq;
 enim accuratè loquendo *facultas dici potest Ethicæ*, cum illa vox propriè
 διῳαμιν πρὸς ἐκάτερον τῶν ἐναντίων, potentiam quandam seu aptitudinem
 ad utrumq; contrariorum ex æquo notet, (quo significatu sola Diale-
 ctica sive Topica & Rhetorica Aristotelis sunt δυνάμεις facultates ejus-
 modi.

modi, quibus apti reddimur ad contraria de re una eademq; probanda) Ethicæ autem præceptiones in unâ solummodò partem diriguntur, vitæ scil. & morum honestatem, unde solum humana felicitas expectanda est. Nequaquam etiam ARS dici potest aut SCIENTIA: siquidem illa secundum Aristotelem l. 6. Eth. c. 3. tantummodò est τῶν ποικιλιῶν eorum, quæ sub effectum cadunt: Hæc autem τῶν ἐξ ἀνάγκης καὶ διδίων, necessariorum & æternorum, cujusmodi sunt, quæ ut fiant vel non fiant, in nullius hominis sita sunt potestate & arbitrio. Ethica verò est τῶν κανόνων earum rerum, quæ ad agendum proponuntur: Cum igitur Ethica neq; ad facultates, neq; scientias, neq; artes, revocari possit: multò minùs ad principiorum Intellectum, aut sapientiam, quæ ex hoc intellectu & scientia componitur: Reliquum est, ut prudentiæ annumeretur, quæ est habitus in rebus simpliciter homini bonis malisve occupatus. Ex res nno nomine κανόνων dicuntur, h.e. agenda sive expectenda & fugienda homini: Expectenda, ut bonæ: Fugienda, ut malæ existunt.

6. *Utrum Ethica profit probis, an improbis?*

Videtur NEUTRIS: Non IMPROBIS, quos secundum affectus vivere, & cognitionem sine fructibus alere, Aristoteles expressè docet. Etsi enim addant universalis præcepta & majorem Syllogismi practici: non tamen minorem, quæ est principalis causa actionis, possunt aut volunt assumere: Itaq; ad benè agendum sese non accingunt: Sed neq; PROBIS videtur esse utilis, quia sibi ipsis Lex sunt benè vivendi; neq; ullo modo videntur his egere præceptis: Sed sciendum VTRISq; hanc doctrinam plurimùm prodesse: PROBIS quidem, quia licet, antequam hæc præcepta audiant, suo munere fungantur, vel naturæ quodam melioris ad virtutem impetu, vel etiam benè agendi consuetudine: Tamen id faciunt, sine certa regula ac norma, unde fit, ut interdum non parùm errent ac labantur. Cognitis autem moralis disciplinæ præceptis, certam agendi normam consequentur, ad quam omnes actiones conformare possint, ne unquam aut saltem minùs frequenter à vera ratione aberrent. Sed & IMPROBIS PRODEST, non tantum omnibus, verùm etiam ijs, in quibus appetitus nondum conculcato rectæ rationis imperio, aut pravæ cupiditatibus occæcato, vel naturæ quodam labe, vel etiam diuturna agendi consuetudine, dictaturam affert. Nam in his aliquid Juris & rectæ rationi relictum est, quæ postea hujus doctrinæ præceptis excitata,

tata, exercitatione & consuetudine confirmatâ, integrum dominium suum possit recuperare.

7. *An disciplina Moralis ordine Synthetico tradi debeat?*

Piccolomineus ita opinatur; Cujus opinionis licet aliquas habeat rationes: Non tamen illæ tanti sunt momenti, ut contrariam destruere valeant opinionem: Nam. 1. si quilibet ordo vel analyticus, vel Syntheticus, promiscuè cuilibet disciplinæ adhibetur, primam Philosophiæ adeoq; rerum divisionem (unde ordinis etiam distinctio manavit) tolli necesse est. 2. ab illis etiam, à quibus disciplinæ constituuntur, ordinis initia capeffenda esse nemo negare potest, qui differentias definitionum ab iisdem sumi novit: At in morali disciplina hæc est finis. 3. Aristoteles 3. lib. Eth. c. 3. ait finem esse principium in omni delib. ratione, quæ desinat ἐν τῷ πρώτῳ αἰτίῳ, ὃ ἐν τῇ ἐκτέσει ἔχει: at moralis disciplina, nihil aliud esse videtur, quàm consultatio de medijs, per quæ homo ad felicitatem in hac vita perveniat. 4. In operatricibus disciplinis μαθησιασ καὶ γυμνασιασ cognitionis & operationis principia ita distinguuntur, ut quod in operatione est ultimum, in doctrina seu cognitione sit primum. 7. 1. Metaph. c. 7. Ergò à fines moralis disciplina quoq; exordium capiet. Nec quicquam nobis obstat moralis disciplina à Piccolomineo, ordine Synthetico conscripta. Nam. 1. non quod fieri possit, sed quid fieri convenienter possit, vel debeat, in ordinandis disciplinis spectandum est: 2. Et si in singulis disciplinis duplicem ordinem adhiberi posse Piccolomineus contendat, attamen in contemplativis Syntheticum, in operatricibus verò analyticum accommodatiorem esse ipse non diffitetur in introduct. ad Phil. Mor. c. 22. Cùm igitur ordinis ratio non possit esse arbitraria, sed ex natura disciplinarum pendeat, rectè etiam analyticum in philosophia civili, utpote aptiorem, Synthetico præferimus.

8. *An πείσις & πρᾶξις inter se differant?*

Maximè: Nam tametsi in eo convenient; quod utriusq; objectum sint τὰ ἐνδιχόμενα: quod vtraq; proficiscatur ab ea animæ facultate quæ dicitur πρᾶξις: quod utrobiq; varietas & inconstantia conspiciatur: Habent tamen suas essentialis differentias, quibus à se invicem discriminautur; Nam 1. *Causa efficiens actionis est mens cum appetitu,*


95
70
201

titu conjuncta: Effectiois causa est mens appetitionis vacua: 2. Actio semper fit cum aliquo animi motu seu affectu: 1. 3. Eth. c. 1. qui vel est moderatus & rationi consentaneus, ut est ea actio, quæ aut habitum virtutis antecedit, aut eundem jam acquisitum consequitur: vel immoderatus & prævius, ut actio, quæ vitium præcedit, aut ab hoc proficiscitur: Sed effectio fit absq; ulla perturbatione & appetitus obliuicatione. 3. actio-
ne quæritur & comparatur hominis & appetitus sensuum ad nutum rationis compositio: Materiæ autem, quæ effectiois subijcitur, informatio, nequaquam est hominis perfectio: Liquet hinc verum esse illud Aristotelis effatum 1. 1. Polit, c. 3, τὴν ποίησιν καὶ πράξιν εἶδει διαφέρειν: quamvis non rarò vocabulum πράξιν generatim pro γέσσει, complectente tam ποίησιν quàm πράξιν propriè ita dictam, usurpetur. Affer-
tur à multis & hæc differentia, quod effectio post se relinquat opus: actio verò nullum post se relinquat. Sed hæc differentia non est ἀφικῶ. Nam concinnæ saltationes, cantiones, harmoniæ tibicinum, & similes ἐνέργειαι non relinquunt post se opus, neque tamen actiones sunt & ad prudentiam pertinent, sed effectioes, & ad artem referuntur. πράξις itaq; est ἐνέργεια λογικὴ, quæ versatur in rebus huma-
nis, in quibus turbidi motus, quibus ratio impeditur, excitari so-
lent, progrediens ex ratione & περιπέσει, ejus boni causa, quod in operatione includitur. Effectio autem est ἐνέργεια λογικὴ, quæ versa-
tur in rebus, in quibus nulla rationis & appetitus lucta deprehen-
ditur, ab intellectu arte directo prodiens, alicujus operis vel utili-
tatis ex ea emergentis gratia. Atque hæc sufficiant de hac
quæstione, quæ non parùm facit ad naturam practicæ
philosophiæ melius cognoscendam.

F I N I S.



1017



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

White 3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

I *S*
...plissimis &
...nis
...dt/ in Schmidsfeldt/
...n.
...hast à Schöllene
...m Reipublicæ
...marijs.
...O N
...ellentissimo
SEILER,
...æ Doctori
...atissimo
SEILER,
...ilefia Affes-
...Fautoribus meis
...tiâ colendis.
...c Philosophicam
D. D.
Johannes Heintz,
Valle-Loachimicus.

ARC
GE
nia
era
dioj
tar
rat
ver
ma
qua
dec
qua
per
sa
mu
tera
erra

jam
qui